



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. VII. De Causis excusantibus ab integritate materiali Confessionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

numero malitia in actu, quo quis decem homines occidit, quia quamvis plura objecta solo numero diversa possint seorsim sumpta refundere in actus humanos malitias numero diversas; cum tamen simul sumpta ab eodem actu respiciuntur, concurrunt per modum unius objecti ad eandem numero malitiam.

Equidem ab hac quaestione speculativa praescindo, & dico cum Tambur. lib. 1. cap. 1. §. 2., Perez, & Leand. apud Dian. p. 9. tr. 9. ref. 55., quod si plures numero malitiae in his actibus contineantur, siue una tantum, veluti magis extensa, nequaquam obligemur pluralitatem talium malitiarum in eodem actu inclusarum explicare in confessione. Ratio est, quia ex Trident. solum obligamur confiteri malitias specie diversas, & numerum peccatorum, non vero numerum malitiarum in eodem actu contentarum. Et confirmatur, quia sicuti qui furatur centum aureos, committit peccatum, quod continet malitias centum furtorum gravium unius aurei; & tamen quia est unum peccatum, & unus actus, satis est in confessione dicere, Furatus sum materiam gravem: Ita quando quis uno ictu occidit decem homines, licet hic actus contineat malitias decem homicidiorum, quia tamen est unum peccatum, & unus actus, satis est in confessione dicere, Plures uno ictu occidi, siue fuerint duo, siue decem, siue centum.

Non satis est autem dicere, Feci homicidium, quia sic non explicatur peccatum commissum, quo plures interfecti sunt; Etenim per illa verba fit sensus, quod unum tantum hominem occideris: Sicut nec bene exponitur hoc peccatum, dicendo, Commisi decem homicidia; quia fieret sensus, quod per decem diversos actus ea commiseris.

X. Idem dicendum in similibus casibus in quaestio expositis; Quare satis est in confessione dicere, Desideravi copulam cum pluribus; (modo sint ejusdem generis) Detraxi cuidam familiae, non explicando numerum personarum; Fui occasio multis peccandi meo malo exemplo; Furatus sum a quadam communitate, &c., quando scilicet haec peccata unico actu committuntur. Immo in materia de furto satis est dicere, Furatus sum rem alienam; quia attenditur solum, quod injuste abstuleris, non a quo abstuleris, ut docet Lug. num. 136. juxta communem praxim.

XI. Et probabile etiam est ex Dian., fornicantem cum tribus satisfacere, si dicat in confessione, Tet fornicatus sum, non explicando, numerum eadem, an cum diversis; quando non datur ratio specialis novi scandali.

ARTICULUS VII.

De causis excusantibus ab integritate materiali Confessionis.

- I. *Ex parte patientis quanam causa excuset a materiali integritate Confessionis?*
- II. *Quanam vero ex parte Confessarii?*
- III. *Num cessantibus deinde hisce causis excusantibus, teneatur patientis statim integre confiteri?*
- IV. *Non requiritur in confessione contritio, quando ex causa dimidiatur.*
- V. *Probabilius licitum est revelare complicem, quando aliter peccatum exponi non potest: sicut etiam personam, qua est objectum proprii peccati.*
- VI. *Qui habet reservata simul, & non reservata, non potest sine gravi causa sacramentaliter absolvi a solis*
re.

reservatis a superiore, & pro aliis ad inferiorem remitti; sed potest a superiore tolli reservatio, ut integra fiat Inferiori Confessio.

VII. Urgente necessitate potest hic aperiendo reservata simul, & non reservata Inferiori absolvi ab his directe, ab illis indirecte, & cum onere; Probabiliter etiam potest in hoc casu aut sola non reservata Inferiori aperire, aut cum sola contritione ad communionem accedere.

VIII. Num possit pariter habens venialia, & mortalia a simplici Sacerdote absolvi indirecte a mortalibus, si necessitas communionis urgeat, & desit Confessor.

IX. Etiam si reservata habeant annexam excommunicationem, adhuc possunt indirecte ab inferiori absolvi, tum si urgeat necessitas communionis, tum si aliter diu poenitens cavere deberet remedio confessionis.

X. Excommunicatio non tollit, quominus in hoc casu valide conferatur Sacramentum Poenitentiae, supplet Ecclesiae jurisdictionem.

I. **D**iscutiendum, quænam sint iustæ causæ excusantes a materiali integritate, unde possimus sine culpa aliquod peccatum in confessione reticere? Certum est, eas esse plures, quarum aliæ se tenent ex parte Poenitentis, aliæ ex parte Confessarii.

Ex parte poenitentis Primo est Ignorantia, seu oblivio peccatorum commissorum, sive sit inculpabilis, sive tantum venialiter culpabilis, eo quod culpa venialis non impedit gratiam, adeoque nec Sacramentum propter hanc ignorantiam, quæ dicitur Ignorantia facti. Addit Suar. etiam excusare Ignorantiam probabilem juris, ratione cuius prudenter a-

liquis existimat posse licite omittere peccatum aliquod in confessione.

Secundo est Physica impotentia, puta, quia mutus, vel balbutiens omnia peccata, & ejus circumstantias bene explicare non potest; vel quia infirmus nimis defatigatur in eadem explicatione, ut bene addunt Bonac., & Henr.

Tertio, Mortis periculum, quando scilicet periculum est, ne poenitens inter confitendum moriatur: In quo casu monet Suar., ut det poenitens, si possit, materiam aliquam certam, necessariam, & in individuo, ut securius Sacramentum suscipiat.

Quarto Impotentia moralis, quæ habetur, quando prudenter ex confessione aliquorum peccatorum timeatur grave aliquod damnum vel spirituale, vel temporale, vel ipsi poenitenti, vel proximo: Excusatur enim in hoc casu, quia, ut loquitur Bernardus, Sacramentum, quod propter charitatem introductum est, non debet contra charitatem exerceri; Unde si quis metu prudenti, & cordato timeat, ne Sacerdos peccatum revelet, aut ipsum poenitentem, vel alium infamet, nec possit alium confessorium commode adire, a quo hoc malum non timeatur, poterit peccatum, vel circumstantiam in confessione omittere; quamvis cum onere, ut mox dicemus, confitendi illud cessante tali causa: Et idem dicas, si quis vel sustentatus a Confessario, vel cohabitans cum illo timeat prudenter, quod ab eo sit odio graviter habendus, & pessime tractandus; Etenim hujusmodi mala sunt confessioni extrinseca: Non excusatur tamen, si timeat, quod aestimetur malus a Confessario, qui prius probus credebatur; quia malum hoc est confessioni intrinsecum.

Quinto, si ex confessione alicujus peccati reveletur sigillum, non tene-

tur pœnitens, nec potest illud confiteri; quia arctius obligat sigillum, quam integritas materialis confessionis.

II. Ex parte vero confessarii habetur excusatio materialis integritatis; Primo, si prudenter ejus mors, aut loquelæ defectus timeatur post inceptam confessionem, nec possit alius Sacerdos advocari. secundo, si detur probabilis timor mortis ex contagio, aut ex alio capite. Tertio, si ex sua fragilitate Confessarius probabiliter timeat, ne sibi, aut etiam pœnitenti causa sit peccandi, diligentius interrogando circa speciem, & numerum peccatorum, præsertim luxuriæ.

III. Certum est autem, quod his causis deficientibus teneatur pœnitens ex vi divini præcepti in nova confessione aperire peccata omissa. Et licet Sot., Henr., & alii putent, quamprimum debere ea confiteri; communis tamen sententia docet, satis esse, si ea suo tempore confiteatur. Solum in Trident. præcipitur, quod si Sacerdos memor peccati mortalis tantum conteratur, quin possit præmittere confessionem Missæ, quam non potest sine scandalo omittere, teneatur quamprimum deinde confiteri; Et Alex. VII. damnat propositionem trigessimam nonam, qua dicebatur, per illam particulam *Quamprimum* intelligi, cum Sacerdos suo tempore confitebitur: Sicut etiam trigessimam octavam, qua dicebatur, mandatum hoc Trident. non esse præceptum, sed consilium; Quia tamen verbum hoc, *Quamprimum*, sumendum est moraliter, non physice, id eo in ejus thesibus expositione dixi, nonnullos putare, satis esse, si hujusmodi Sacerdos intra triduum adeat Confessarium. Ubi etiam adverti, hanc obligationem a Trident. imponi solis sacerdotibus sacrificantibus,

non vero iis, qui dumtaxat communicant.

IV. Quando vero ob justam causam peccatum aliquod in confessione reticetur, satis est de illo atteri, quin requiratur contritio; quia tale peccatum in confessione perinde se habet, ac peccatum oblitum; de peccatis autem oblitis satis est atteri, eo quod ex Trident. intelliguntur inclusa in ea confessione in ordine ad effectum remissionis; quamvis non in ordine ad tollendam obligationem illa postmodum confitendi. His explicatis, ad præcipua dubia descendo.

V. Quæritur primo, Utrum excusetur pœnitens ab integritate materialis, ne complicem manifestet: Verbi gratia, peccavit quis cum sua matre a confessario cognita, debetne circumstantiam hanc incestus explicare?

Respondeo, certum esse teneri alicui Confessarium adire, si commode potest, ne proximum infamet; expectare etiam tenetur unum, vel alterum diem novam Confessarium, si forte mox est adventurus, quando non urget necessitas confessionis; quia unusquisque tenetur consulere famam proximi, quando potest sine suo incommodo. Putant tamen aliqui cum Tambirino, posse non expectare, nec alium Confessarium adire, quando spiritualem consolationem sentit pœnitens in aperiendis suis peccatis alicui Confessario amico, vel docto, &c., etiamsi revelanda sit apud hunc persona complicitis; tum quia multi Doctores cum Reginald., Navar., & aliis putant, non esse mortale manifestare defectum proximi uni, vel alteri viro prudenti; quare si detur aliqua causa manifestandi confessario amico; aut docto personam complicitis, a fortiori excusabitur pœnitens etiam a veniali: Tum etiam quia fideles universim non sunt solliciti

ti de manifestando complice in confessione; unde videntur homines in tali casu cessisse suo iuri; Etenim quando quis peccat cum socio, bene scit, tale peccatum aperiendum esse confessario, & ideo videtur suo iuri cedere, & contentus esse, ut manifestetur in confessione: Quamvis contraria sententia probabilior sit, & tutior.

Ad quæsitum nunc respondeo, Martil., Bagn., Navar., Valent. apud Fagund. 2. præcepto Eccles. lib. 5. cap. 1. putare, non posse licite complicem in confessione explicari. Ratio est, quia ex naturali, & divino jure tenemur conservare illæsam famam proximi: Et solum ex jure divino positivo tenemur ad integritatem materialem confessionis; ergo concurrentibus his juribus, illud fortius ligat, & prævalet.

Sed communior sententia Suar., Valq., Lug., Perez putat licere; Immo addunt, non solum id licere, sed etiam debere complicem explicari, quoties aliter peccatum, aut circumstantia speciem mutans explicari non potest. Ratio est, quia si tenemur ex institutione Christi supremi Domini famæ uniuscujusque aperire peccata in confessione cum infamia propria, a fortiori tenemur cum infamia proximi, quando id opus est. Confirmatur primo, quia in iudicio forensi, quoties Judici constat de delicto habente complicem, statim iudex habet jus interrogandi de complice, & reus tenetur respondere; ergo pariter in iudicio Sacramentali. Confirmatur secundo, quia cum Christus supremus Dominus famæ obligavit nos ad integritatem confessionis, obligavit pariter nos ad id, quod cum hac integritate connectitur; atqui cum ea connectitur non solum manifestatio criminum cum propria infamia, sed etiam aliquan-

do cum infamia proximi; ergo ad hoc nos obligavit, contra quam obligationem a Domino supremo famæ ortam nemo jus habet ad famam suam.

Ad rationem in contrarium respondetur, quod sicut iudex in iudicio forensi non præcipit aliquid contra jus naturæ, quando præcipit reo, ut revelet complicem, & quando præcipit testi; ut accusati crimen aperiat; quia ipsum jus naturæ dicitur manifestandum esse delinquentem in talibus circumstantiis: Ita in foro Sacramentali jus naturale de conservanda fama proximi cessat obligare pœnitentem; Immo dicitur, maxime consentaneum esse ad reverentiam Sacramenti, & ad perfectum iudicium in eo formandum, ut integre peccatum aperiatur, & sic manifestetur peccati socius, quando ad integritatem confessionis est opus. Unde fit, ut non dicantur concurrere duo illa jura, videlicet naturale de non infamando proximo, & positivum de integritate confessionis; Nam solum jus positivum de integritate confessionis obligat, & jus naturale in talibus circumstantiis non obligat non infamare proximum; sed ex reverentia debita Sacramento obligat ad integritatem confessionis, etiamsi debeat crimen proximi manifestari uni confessario.

Si tamen ex confessione venialium, vel mortalium alias confessorum deberet complex infamari graviter apud confessarium, censeo cum Lug., & Perez, debere pœnitentem a tali confessione abstinere, cum ea sit libera: Secus vero, si peccatum sit mortale, ac necessario confitendum.

Propter easdem rationes adductas ad probandam obligationem manifestandi complicem, putant Lug., Grad., Tambur., quod teneatur etiam pœnitens manifestare personam, quæ
est

est objectum proprii peccati, si aliter non possit confiteri peccatum suum: Verbi gratia, si filius dedit venenum matri gravidæ ex pravo concubitu, tenetur manifestare matrem, quæ non est complex, sed solum objectum proprii peccati. Verum Suar., Fagund., & Perez id negant, quia in iudicio solus complex, non vero objectum criminis manifestari potest. Prior tamen sententia videtur probabilior.

Addit Suar., posse pœnitentem tam intra, quam extra confessionem dare confessario notitiam complicitis, etiam non necessariam integritati confessionis, vel ad petendum consilium, vel propter aliud emolumentum sive spirituale, sive temporale, aut proprium aut complicitis, aut proximi. Et Lug. advertit, accidere posse casum, in quo confessarius obliget pœnitentem ad manifestandum complicitem, quando scilicet ex occultatione complicitis gravissima damna imminerent, quæ pœnitens neque per se, neque per alium idoneum præcavere posset. Hic tamen casus est rarissimus; & potius confessarius debet sæpe pœnitentem monere, quando sine ulla causa complicitem manifestat. Quod si pœnitens in confessione det confessario notitiam complicitis, ut illum corrigat, curet notitiam hanc habere extra confessionem, ne scandalum suboriatur.

VI. Quaritur secundo, an sit justa causa dimidiandi confessionem, & excusans ab integritate materiali, quod pœnitens habens casus reservatos non possit superiorem adire, ut ab iis absolvatur. Videntur quippe peccata reservata frustra aperiri confessario inferiori non habenti potestatem in illa.

Respondeo, sine justa causa non solum non licere dimidiare confessionem, revelando confessario inferiori solum non reservata, & deinde superiori reservata, (quod est omnino cer-

tum) sed nec etiam licere illam dimidiare hoc altero modo, scilicet confitendo prius superiori reservata, & deinde inferiori non reservata, ut communiter docent Doctores contra Alenf., Bonavent., Navar., Cajet., Tolet.. Et ratio est, quia integritas confessionis est de jure divino, nec potest absque urgenti causa in ea dispensari; Quare damnata fuit ab Innoc. XI. propositio 59. dicens: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiante tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis, verbi gratia, potest contingere in die magna alicujus festivitatis, vel indulgentia.* Ex quo colligitur, non dici urgentem causam, propter quam in casu nostro possit dimidiari confessio, magnam occupationem superioris, qui non potest commode reservata simul, & non reservata audire; sic enim pariter Parochus posset ratione suæ occupationis auditis aliquibus tantum peccatis sacramentaliter absolvere.

Dico itaque primo; Urgens, & rationalis causa dimidiandi confessionem hoc secundo modo, (scilicet confitendo superiori solum reservata, & deinde inferiori non reservata) ex Con., & Lug. videtur esse, si superiori nullo modo vacaret audire hic, & nunc confessionem integram, & pœnitens non posset diutius carere absolutione sacramentali, vel quia urget necessitas communicandi, vel ex alio capite: & præterea requiritur, ut nullus alius confessor idoneus adsit, cui possit integre confiteri, sublata jam extra Sacramentum reservatione, vel censura a superiore; qui casus est rarissimus; ut notavimus quæst. 3. art. 3. quæst. 6.. Verum tamen est, quod si superior auditis solum reservatis sacramentaliter absolveret, quamvis peccaret, valide absolveret; directe quidem a reservatis, & indirecte ab aliis non confessis; unde non

teneretur pœnitens amplius confiteri peccata, a quibus fuit directe absolutus, ut notat Suar. disp. 31. sect. 1.

Neque favet pro dimidianda hoc pacto confessione Sacramentali stylus Curie Romanæ, quem adducit Sylvester, qui fuit in Basilica Sancti Petri Pœnitentiarius.

Nam stylus Curie is fuit, ut extra-sacramentaliter absolveretur pœnitens ab excommunicatione Pontifici reservata, & deinde remitteretur ad Inferiorem pro confessione, & absolutione Sacramentali omnium omnino culpæ parum.

VII. Dico secundo; Urgens, & rationabilis causa dimidiandi confessionem primo modo (scilicet confitendo inferiori solum non reservata, cum onere confitendi postmodum superiori reservata) est necessitas tuendi vitam, vel famam, aut vitandi scandalum, aut communicandi, vel servandi præceptum confessionis; Necnon ex Leand. disp. 5. quæst. 58.; Suar., Granad., Lopez, si longo tempore differenda esset confessio, etiamsi non obliget præceptum confessionis; quia diu privari fructu hujus Sacramenti est notabile nocumentum. Ita communius Doctores apud Lug. de Euchar. disp. 14. num. 98. contra Vasq., quæst. 91. art. 3.; qui putat, non licere in his casibus confessionem dimidiare, eo quod careat inferior jurisdictione sufficienti, sed debere pœnitentem cum sola contritione ad communionem accedere, quando opus est ad vitandum scandalum.

Ratio nostræ Conclusionis est, quia talis confessio non est invalida, ut mox constabit contra Vasq., & alios; ergo in dictis casibus potest fieri; cum præstet accedere ad communionem præmissa confessione valida solum mortalium non reservatorum, (imo etiam, si hæc desint, solum

venialium, ut sentit Conink de Euchar. disp. 80. num. 20.) quam simpliciter non confiteri, & cum sola contritione ad communionem accedere; Quinimmo cenfeo, pœnitentem ad hujusmodi confessionem teneri; quia sicut qui ex justa causa potest reticere aliquid mortale, tenetur præmittere Communioni confessionem reliquorum mortalium; Ita qui ex defectu jurisdictionis in confessario non tenetur in casu nostro aperire inferiori peccata reservata, tenetur aperire mortalia non reservata, ut præmissa illorum confessione ad Communionem accedat.

Adverte tamen, esse satis communem, & probabilem, imo probabiliorem sententiam apud Con. disp. 7. num. 86. docentium in casu adducto debere Pœnitentem confessario inferiori aperire reservata simul, & non reservata, cum onere confitendi deinde iterum superiori sola reservata. Et ratio Con. est, tum quia in re, quæ pœndet a Christi institutione, non est a communi sententia recedendum; tum etiam, quia sic servatur integritas materialis præcepta a Christo Domino; nec videtur sufficiens ratio excusans ab hac integritate materiali, ne scilicet pœnitens subeat onus confitendi bis idem peccatum reservatum; quia non est hoc onus tanti momenti, ut possit ab integritate præcepta excusare.

Neque dicas primo cum Vasq., confessionem reservatorum simul, & non reservatorum factam inferiori non habenti potestatem in reservata non esse validam ex defectu jurisdictionis; ergo talis confessio nunquam est licita, & a fortiori nec debita.

Nam negatur antecedens; jurisdictio enim, quam habet inferior in non reservata, satis est ad valorem Sacramenti, quando in casibus adductis pœnitens reservata simul, & non

reservata confitetur: Et ratio est, quia hæc eadem jurisdictio satis esset, si peccatum reservatum esset invincibiliter oblitum, vel si esset dubium, aut si esset peccatum non reservatum, sed ex justa causa omissum, ut ipsemet Vasq. concedit; ergo etiam satis est, si pœnitens reservata simul, & non reservata confiteatur. Probatur hæc consequentia, quam Vasq. negat, quia confessio reservati non minuit potestatem, & jurisdictionem in absolvente, eo modo quo nec oblivio, aut reticentia ejusdem peccati ex justa causa; ergo si peccatum reservatum valide absolvitur, licet indirecte, ab inferiore, quando est oblitum, aut ex justa causa omissum, valide etiam absolvitur, & indirecte, quando est confessum in casu adducto; quia non debet esse pejoris conditionis qui peccatum confitetur, ac qui obliviscitur, aut reticet ex justa causa.

Neque dicas secundo; ex Trident. sess. 14. cap. 7. Sacerdotem inferiorem extra mortis articulum nihil posse in casus reservatos.

Nam sicut potest inferior reservata absolvere indirecte extra mortis articulum, si sint oblita, vel ex justa causa omissa; ita si sint confessi in casu conclusionis. Quare Trident. solum negat, inferiorem posse extra mortis articulum absolvere a reservatis directe; non negat tamen indirecte; eo quod per potestatem indirectam non perturbatur ordo Ecclesiæ, & consulitur bono animarum; quia semper remanet pœnitens obligatus adire superiorem, & interim gaudet remedio Sacramenti; quod facilius assequi potest, quam assequatur per contritionem, quæ pariter remittendo indirecte reservata, favet animarum bono, & non perturbat rectam Ecclesiæ gubernationem, eo quod post contritionem remanet onus adeundi supe-

riorem pro absolutione.

Neque dicas tertio; In judicio forensi non potest iudex absolvere reum a delictis, in quæ non habet jurisdictionem, etiam si habeat jurisdictionem in alia delicta ipsius Rei; ergo neque in judicio Sacramentali.

Nam negatur consequentia; Et disparitas est, quia iudex forensi non habet potestatem absolvendi indirecte, sicut illam habet iudex in foro Sacramentali; Etenim Confessarius absolvit conferendo gratiam impossibilem cum quovis peccato; ergo si habet potestatem absolvendi aliquod peccatum pœnitentis, ac proinde conferendi illi gratiam Sacramentalem, debet pariter habere potestatem absolvendi indirecte ab omnibus aliis peccatis impossibilibus cum gratia collata.

VIII. Neque dicas quarto; Ergo pariter poterit simplex Sacerdos absolvendo directe a venialibus absolvere indirecte a mortalibus vel oblitis, vel ex justa causa omissis, vel etiam confessis in simili casu necessitatis adducto in conclusione.

Nam Suar. disp. 31. sect. 3. concedit hanc consequentiam, quando intervenit bona fides pœnitentis: Advertit tamen, non esse hoc in usu Ecclesiæ, sicut est in usu illud prius; Unde merito diximus, Con. admittere, quod habens sola venialia cum mortali reservato possit in casu necessitatis absolvi indirecte a mortali reservato a Confessario inferiori, non tamen a simplici Sacerdote. Et disparitas circa hunc Ecclesiæ usum, quam adducit Suar. est; quia Confessarius inferior habens jurisdictionem in mortalia non reservata habet id, quod est præcipuum, & quasi substantiale in hac potestate; Unde nil mirum, si posset indirecte a reservatis absolvere in casu necessitatis. Econtra simplex Sacerdos, qui solum habet juris-

ditionem in venialia, & in mortalia alias confessa, habet jurisdictionem valde tenuem, & ita non est usu introductum, ut absolvat indirecte a mortalibus in casu necessitatis, sed solum quod in extrema necessitate absolvat directe ab omnibus.

Ex dictis inferitur, quod poenitens habens reservata simul, & non reservata primo possit inferiori aperire solum non reservata, juxta sententiam de Lugo, omittendo reservata, si urget necessitas communionis, nec liceat superiorem adire: Secundo possit juxta communem sententiam apud Con. confiteri simul reservata, & non reservata, ut ab iis directe, ab istis indirecte absolvatur: Tertio possit juxta sententiam Vasq. solum conteri, omittendo confessionem, & sic ad communionem, verbi gratia, accedere urgente necessitate.

IX. Quaritur tertio; Utrum similiter dimidiare possit confessionem, urgente necessitate, qui habet peccata reservata, quibus annexa est excommunicatio?

Respondeo, Sylvest., Covar., & alios apud Henr. lib. 8. de Euchar. cap. 47. sect. 3. putare, excommunicatum etiam occultum non posse extra mortis articulum communicare, nec Sacramentaliter absolvi a peccatis, etiam urgente scandalo, aut infamia. Et ratio, quam adducunt, est, quia excommunicatio, tam major, quam minor privat receptione Sacramentorum.

Equidem cum Suar. disp. 32. sect. 3., & aliis, communiter existimo, quod habens mortalia non reservata, & mortalia reservata, quibus est annexa excommunicatio, urgente necessitate, verbi gratia, communionis, si non liceat adire superiorem pro absolutione a censura, non solum possit, ut docet Vasq., cum sola contritione ad communionem accede-

Pars VI.

re, sed etiam possit (quod negat Vasq. quaest. 91. art. 3. putans, excommunicationem etiam invincibiliter ignoratam impedire absolutionem sacramentalem) Sacramentaliter absolvi a peccatis, directe quidem a non reservatis, & indirecte a reservatis, quibus est annexa excommunicatio; eo prorsus modo, quo diximus de casibus reservatis non habentibus censuram. Ratio est, quia si quis potest ad vitandum scandalum licite communicare juxta communem opinionem, poterit pariter absolutionem Sacramentalem recipere; non enim videtur congruum, ut velit Ecclesia illum communicare, non praemissa confessione sacramentali, quae ex divino praecipio praemittenda est communioni.

Adde, quod quamvis non urgeat necessitas communicandi, sed urgeat solum necessitas confitendi, vel ob vitandum scandalum, vel quia (ut diximus ex Leand. disp. 1. quaest. 58. Suar., Granad., & aliis) aliter diu carere deberet poenitens remedio confessionis, quod censetur notabile detrimentum, possit pariter excommunicatus confiteri, vel dimidiando confessionem, juxta supradicta ex Lug. de Euchar. disp. 4. num. 98., vel integre confitendo; ita ut solum a non reservatis absolvatur directe, & indirecte a reliquis. Et ratio est, quia vere potest excommunicatus valide absolvi a peccatis, non praemissa absolutione a censura, sive invincibiliter oblita, sive ignorata, sive etiam cognita, urgente necessitate; ergo etiam licite poterit in casu nostro absolvi. Antecedens, quod negatur a Vasq., satis clare suadet, quia excommunicatio non reddit subjectum incapax gratiae sanctificantis, quae habetur per contritionem, ut est indubitatum; neque reddit subjectum incapax absolutionis Sacramentalis; alioquin qui

P in-

invincibiliter est oblitus alicujus censura, nunquam posset in Sacramento poenitentiae justificari, quia nunquam posset absolutionem Sacramentalem suscipere: Quod quamvis a Vasq. admittatur, videtur tamen incredibile, & contra naturam censura, quae non est impossibilis cum gratia justificante, & infligitur ab Ecclesia in medicinam; non esset autem medicina, sed poena rigorosissima, si illam ignorans, etiam invincibiliter, cogeretur ab Ecclesia in perpetuum carere absolutione Sacramentali: Quare cum excommunicatus intantum non possit Sacramenta suscipere, inquantum ab Ecclesia id prohibetur, cessante hac prohibitione, vel propter ignorantiam, vel, ut in casu nostro, ratione necessitatis, consequenter valide, & licite Sacramentum poenitentiae in hoc casu suscipit, non secus ac Sacramentum Eucharistiae in casu simili.

Confirmatur; quia excommunicatio non tollit, quominus Sacramentum conferatur positis omnibus constitutivis Sacramenti; sed in casu nostro ponerentur omnia constitutiva Sacramenti poenitentiae: ergo excommunicatus, in casu nostro, valide Sacramentum poenitentiae reciperet, non praemissa absolutione a censura. Minor probatur, quia si quid deesset, maxime esset jurisdictio Sacerdotis erga talem poenitentem ligatum censura reservata; Talis autem jurisdictio non deesset; quia cum habeat confessarius jurisditionem in non reservata, non est probabile, quod Ecclesia benignissima Mater velit tali confessario denegare in casu necessitatis jurisditionem indirectam relate ad peccata, & censuras reservatas.

X. Neque dicas, tam requiri essentialiter ad validitatem Sacramenti poenitentiae potestatem Ordinis in absolvente, quam potestatem jurisdictio-

nis; sed illa deficiente, etiam invincibiliter, & ex ignorantia, non confertur Sacramentum valide, ut est indubitatum: ergo nec valide confertur Sacramentum poenitentiae, deficiente potestate jurisditionis; Atqui quoties aliquis habet censuram reservatam, Confessarius inferior non habet jurisditionem erga illum; aliter censura non diceretur esse reservata; ergo censura in casu nostro, etiam invincibiliter ignoretur, obstat validitati Sacramenti.

Nam ex dictis nego minorem subsumptam; hoc enim interest inter potestatem ordinis, & potestatem jurisditionis, quod illa non possit ab Ecclesia suppleri; haec vero possit; Quare si quis non Sacerdos, vel ex opinione probabili, vel ex errore communi, & ad summum cum titulo colorato putetur Sacerdos, non per hoc valide absolvit: Contra vero, si careat jurisditione, sed ex opinione probabili, vel ex errore communi cum titulo colorato putetur illam habere, profecto juxta communissimam opinionem valide absolvit, supplente Ecclesia defectum jurisditionis, seu concedente Pontifice jurisditionem, ut consulatur saluti Animarum. Idem dicimus in casu nostro, quod scilicet Ecclesia, quae prohibet excommunicatis susceptionem Sacramentorum, & consequenter negat Sacerdotibus jurisditionem in illos, in casu necessitatis removet hanc prohibitionem ut mater benignissima & confert confessariis inferioribus jurisditionem erga hujusmodi poenitentes, ita tamen ut solum directe a non reservatis absolvantur, & a reliquis tantum indirecte; non secus ac omnes dicimus de peccatis oblitis, etiam reservatis, ut sic consulatur saluti Animarum.